



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm III. Statutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

entia forent, nisi novam provisionem obtinerent, sicuti ex hoc c. constat in fine.

10. Notandum quartò. Si cui generalis à Jure vel ab homine conferendi beneficia facultas concessa sit, tali facultate nunquam censentur comprehensa beneficia Sedi Apostolicæ reservata. Ita ex communi *Francus bic n. 3.* Quam ob rem nec Legatus à latere conferre ea potest teste *Gh. finali recepta in c. 1. de officio legati in 6.* At verò Romano Imperatori per Apostolicæ Sedis gratiam ex antiquissima consuetudine concessum est, ut in quavis Ecclesia, intra Romanum Imperium, personam aliquam idoneam, per Preces, quæ Primariæ dicuntur, offerre possit, cui beneficium qualecunque vacans, vel proximè vacaturum conferri debeat, non obstantibus reservationibus papalibus, ijs exceptis, quæ in *Extrav. Ad regimen continentur*, videlicet beneficia Cardinalium, & officialium Curia, ubicunque decedunt, eorum item beneficiariorum, qui aliunde, sujuscunque negotij causâ, ad Curiam veniunt, si in Curia, vel in accessu, aut reditu, intra duas diætas à Curia distantes moriantur; præterea beneficia, quæ vacant per privationem, depositionem, promotionem, alterius incompatibilis beneficij alienationem, si talis Privatio, Promotio aut Collatio beneficij per Sedem Apostolicam facta sit. Excipiuntur etiã Episcopatus, & dignitates, quæ post Episcopatum in Cathedralibus Ecclesijs majores, & quæ in Collegiatis principales sunt; hæc enim specialiter reservantur, ita ut sub precibus primarijs non comprehendantur.

Denique monendi sumus, quòd per preces primarias, seu Imperatorias nominatus ad beneficium, debeat illud intra mensem, numerandum à tempore, quo ipsi vacatio beneficij (intellige post obitum) nota fuit, acceptare, id est, declarare per se, vel alium mandatum ad id habentem, quod beneficium vigore precum Imperatoriarum petat. Et ideo rescriptum Imperatorium insinuare debet collatori v. g. Episcopo, vel Vicario ejus; item Capitulo (si collatio ad Capitu-

lum spectet) & quidem capitaliter congregato, cum singuli seorsim Capitulum non representent. Et ita docet *Rebuff. de nominationib. q. 14. n. 74. Coker in precibus primarijs s. 4. v. duxerunt accipienda.*

CAPITVLVM III. Statutum.

PARAPHRASIS.

Gregorius X. in Concilio Lugdunensi Clementis IV. constitutionem præcedente Capitulo positam moderatur, ut non obstante, quòd beneficia in Curia vacant, Ordinarij eorum Collatores, ad collationem per se ipsos, vel si in remota Regione positi sint, per Vicarios suos generales, quibus specialiter commillum sit, procedere possint, si Papa intra mensem à die vacationis numerandum non contulerit.

SUMMARIUM.

1. Beneficium vacare in Curia, & apud Sedem Apostolicam unum & idem est.
2. Si tamen beneficium, quod in Curia vacat, non confert Pontifex, quomodo nulla negligentia intervenerit, potest illud conferre Ordinarius.
3. Neque tamen omne beneficium reservatum in Curia vacare censetur.
4. Sicuti juxta Extravagantes aliquæ censentur aliqua beneficia in Curia vacare, quorum tamen vacatio extra Curiam suum effectum sortita est.
5. Valde probabile est, hodie ad hoc locum esse huius Capituli, si tamen tamen non vacationis accipiendo.

Notandum primò. Idem est beneficium vacare in Curia, & vacare apud Sedem Apostolicam. Ita *Gh. bic V. in Curia*, & sumitur apertè ex hoc c. nam quòd Clemens Papa dixerat, vacare apud Sedem, Gregorius vacat vacationem in Curia, loquitur autem tantum de beneficijs reservatis Papæ, si enim

nam ea beneficia, quæ in urbe ipsa posita sunt, vacare contingat, ad Pontificem eorum collatio spectat, (exceptis Cardinalium titulis, in quibus veluti Episcopalem jurisdictionem habent, uti videre licet apud *Enca. de reservationibus q. 2. in principio*) verum non per reservationem seu avocationem, sed tanquam ad proprium, & ordinarium Episcopum, atque collatorem, aliter tamen loquuntur Doctores, quos refert, & sequitur *Covarruvias in practicis qq. 6. 36. n. 4.* quod multa beneficia in Curia vacant, tanquam reservata, quæ tamen non vacant apud Sedem, v. g. beneficia familiarium, & officialium Papæ, in quocunque loco decesserint. Verum hæc distinctio & doctrina repugnare videtur *Extravag. Ex debito inter communes de electione.*

Notandum secundò. Si Papa beneficium, quod in Curia vacat, intra mensem non conferat, Ordinarius conferre potest. Ita dicitur hic. Advertit autem *Glossa recepta V. numerandum.* huic constitutioni locum esse, tamen si Papa nesciverit, beneficium vacare, quia tempus hoc mensis, seu triginta dies non ob negligentiam collatoris, cum Papæ collatori nullum tempus, sicuti alijs collatoribus definitum sit, teste *Franco hic n. 6. Enca. de reservat. q. 4. principali, effectus 20.* sed propter Ecclesiarum necessitates definitum fuit, ne beneficia diu vacare contingeret.

Sed pro pleniore intellectu: adverte primò, licet omne beneficium vacans in Curia sive apud Sedem (prout in hoc c. accipitur) sit Papæ reservatum, non tamen vice versa, omne beneficium Papæ reservatum, in Curia propriè loquendo vacat, nam v. g. beneficia vacantia in mense Januarii, Martio &c. Pontifici reservata sunt, quæ in Curia non vacant; ut taceam speciales beneficiorum reservationes fieri posse à Pontifice.

Adverte secundò, à sequentibus Pontificibus *Joan. 22. in Extravag. ex debito, Clemente V. in Extravag. Et in temporalium. de præbendis.* nomen vacationis apud Sedem latius acceptum esse, quàm in hoc Ca-

pitulo, & præcedente acceperant *Clemens IV. & Gregorius X.* nam secundum hæc Capitula, ea tantum beneficia in Curia, seu apud Sedem vacare dicuntur, quorum vacatio completum effectum in Curia, seu Romana Urbe accepit per obitum, aut liberam resignationem, vel privationem inibi peractam; at verò secundum dictas Extravagantes multa beneficia apud Sedem, seu in Curia vacare dicuntur, quorum vacatio effectum suum extra Curiam consecuta fuit, v. g. per obitum Episcoporum, aut Præpositorum Ecclesiarum Collegiatarum, aut Conventualium.

Ex his resolvi potest quæstio, num adhuc hodie constitutioni hujus Capituli locus sit, ut videlicet Episcopus, alijsve collator ordinarius conferre possit beneficia vacantia in Curia, v. g. per obitum sui beneficiarii, si Papa intea mentem conferre neglexerit. Negat *Garzias p. 5. c. 1. n. 100.* eò quod derogatum videatur per *Extravag. Ad regimen.* Verum correctio juris, præsertim si favorable sit, aut generali Concilio constitutum (quorum utrumque hîc reperitur) introducenda non est, nisi sufficienter significata, & expressa sit, quod in dicta Extravagante non apparet. Alij itaque DD. aiunt esse correctum per *Extravag. Pie* quæ est Bonifacii VIII. *de præbendis.* Sed objicit *Encas q. 4. principal. effectus 6. Zerola p. 2. praxis V. reservationum §. 7.* si Bonifacius VIII. qui ipsemet author fuit dictæ Extravagantis *Pie*, voluisset per eam revocare antecessoris sui Gregorii X. constitutionem, in hoc cap. traditam, tunc eam in sua hac libri 6. compilatione non posuisset, quia jura abolita in corpus Juris Canonici inseri non solent, prout ipsemet Bonifacius testatus est in præmio ejusdem libri, cum ait, jura, quæ contraria videbantur, rescata fuisse. Quare conclusio, sententiam affirmantem, adhuc hodie locum esse huic Capitulo, valde esse probabilem, ita tamen, ut nomen vacationis accipiat strictè, juxta intentionem Gregorii X.

rij X, non autem secundum extensionem Joannis XXII. & Clementis V.

CAPITULUM IV.

Quamvis.

PARAPHRASIS.

Et si alioquin in Principum beneficijs plenissima interpretatio facienda sit, tamen literæ impetratæ super beneficijs obtinendis, strictam interpretationem habere debent, eò quòd ambitiosæ sint, & idèd si alicui Clerico usque ad certam summam reddituum provideri à Sede Apostolica mandatur, id non de pensione, sed de Ecclesiasticis beneficijs accipi debet, præterquam, si de pensione in literis mentione expressa fiat.

SUMMARIUM.

1. Gratiam à Pontifice concessam plenissime interpretari decet, non tamen, ut cadat in præjudicium tertij.
 2. Literæ tamen impetratæ ad beneficia strictam habent interpretationem, ita tamen, ut motui proprio amplius quid concedatur.
 3. Et hinc si Papa mandet, ut Clerico provideatur, intelligi hoc debet, ut ipsi de beneficio, non autem de pensione tantum provideatur.
 4. Et si mandet, ut alicui de beneficio provideatur in Ecclesijs civitatis, aut diocesis, ad Ecclesiam Cathedralē tale mandatum se non extendit; extendit tamen se, si mandet, ut eidem in Ecclesijs Provincia provideatur.
- N**otandum primò. Beneficium seu gratiam à Principe concessam plenissime interpretari decet *L. 3. ff. de constitut. Principum. c. cum dilecti 6. de donationibus.* Ratio dari debet, quia propria Principum est liberalitas, & magnos viros magna donare decet; quam ob rem, ait *Gl. in cit. L. 3. V. beneficium. Anchoran. hic in principio*, quòd præsumendum sit, rem à Principe donatam esse pleno jure & perpetuo, si

aliud expressum non sit: id verò maxime locum habet in pijs donationibus, & fundationibus, prout docet *Felin. in c. solita n. 4. de majoritate. Rosenthal. in Synopsi de feudis c. 5. con. ut. n. 2.* Excipe: beneficium seu concessionem Principis nunquam ita accipiendam esse, ut cedat in præjudicium personæ tertie, prout tradit *Gl. recepta in cit. L. 3. & sumitur ex L. 2. §. merito ff. ne quid in loco publico &c.* ex quo habetur, quòd etiam Princeps injuriam facere censetur, si uni commodum præferat cum alterius incommodo, nisi justa necessitas id efflagget. Adde textum in *c. ex suarum juncta Gl. V. non permittat, de autoritate, & n. pallij.*

Notandum secundò. Literæ impetratæ ad obtinenda beneficia strictam interpretationem habere debent. Idem habetur in *c. ult. hoc tit.* Ratio hinc datur, quia beneficia per ambitionem impetrari solent, nam Ecclesiastica beneficia ac dignitates, sicuti & publica officia, honestius accipiuntur, quam petuntur. *argum. L. si quengnam 30. c. de Episcopis & Clericis.* Quare alia ratio est, si Papa proprio motu beneficium alicui conferat, talis enim collatio latam interpretationem meretur, tum propter exclusam obreptionis suspicionem *c. si motu 23. de præbend. in 6.* tum quia apparet major affectio in concedente. Verumtamen motus proprius ita intelligi debet, ut nihil adversus Jus commune introducatur, seu dispensatio nulla fiat, sicuti ex communi *hic Lopus n. 1. Dominicus col. 2.* annotarunt, si Papa motu proprio mandet alicui in Ecclesia provideri usque ad antecor. 500. & unicum beneficium tot redditus non habeat, conferenda quidem esse duo vel plura, sed non curata, nec aliàs de Jure incompatibilia.

Norandum tertio. Cum Papa mandet, ut Clerico alicui provideatur, intelligi id debet de beneficijs, cum vacant, non autem de pensionibus, quia designatio pensionis odiosa est, & exorbitans à jure ordinario, pensionarius enim Clericus accipit, sed ple-